



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Quæ leges præscribendæ sint, vt decorum seruetur. Cap. XLII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

primus urbis Venetæ fuit Patriarcha, imitatione S. Bernardi plurimum nonnulli arbitrantur fuisse delectatum. Clericis hoc tempore sacros libros, & sanctos Doctores legendos, imitandos, & sequendos proponimus. eos enim honore & imitatione censemus dignissimos, sed in primis optamus, ut eorum mores & vitæ sanctitatem sibi imitandam suscipiant; eorumq; exemplo non solum doctiores, sed multo etiam meliores quotidie fieri studeant. His autem ita expositis, dicamus, quas leges sibi præscribere debeat Ecclesiasticus orator, ut in suis orationibus decorum seruet.

Quæ leges præscribendæ sint, ut decorum seruetur. Cap. XLII.

HANC sibi primùm legem præscribat Ecclesiasticus orator, ut nihil vnquam falsum doceat: nec etiam, si speret indè animas ad poenitentiam se posse conuere. non enim Deus eget nostris mēdacys: deindè, nè auditoribus aduletur, quo nihil potest esse turpius, nec in oratore Christiano miserabilius. Quare varietas titulorum, quibus quidam concionatores illabi in animos auditorum student, appellantes populum nomine patriæ, & patriam varijs epuheiis ornantes, vitanda est; non ita tamen etiã, ut non adhibenda sit. nam suo loco adhibita, ad cōmouendos animos nihil nõ valet: nobilissimam ciuitatem, inclytã, nobilissimos auditores, magnificos, generosos quidã nominant, & sapissimè vtuntur his nominibus: aptius, mea quidẽ sententia, appellarent fratres & sorores in Christo, animas benedictas à Deo, animas Christianas, populũ Dei. Quo loco monemus clericos, si interdum

lau-

laudant; laudent vt reprehendāt, vt excitent ad gratias agendas, & vt corrigant; quemadmodum fecit B. Paulus scribens ad Corinth. his verbis: Laudo vos, in hoc non laudo: ita nos dicere possumus; laudo vos hereticorū esse inimicos acerrimos, laudo fidei Christianae sinceritatem, quam conseruatis; sed nō laudo, quod operibus fidem non confirmetis; quod tanto studio iniurias vlciscamini. Nunquam de praedestinatione loquatur, quin aliqua de libero hominis arbitrio attingat: nunquam de peruersis quorūdam sacerdotum moribus, quin de sacerdotij auctoritate prius multa dixerit: nunquam matrimoniū ita laudet, vt virginitatem ei nō anteponat. Hanc etiā sibi praescribat legem, nē se ipse iactet, aut sua, quod nonnulli faciunt, qui res pulcherrimas, nō anteā auditas, se dicturos pollicentur; qui recitant se alijs in locis dixisse, & admirationem concitasse; & vt maximi viri habeantur, aliorum catholicorum opiniones confutāt. quarē nihil aliud assequūtur, quā quod inuidiam, odiumq; hominum incurrunt. Caueat, nē in sacerdotes, in ordinem episcoporum, in principes, multo minū in Pont. Max. Christi Vicarium dicere audeat; nam hoc est seditiosi ingenij, & hominis auram popularem aucupantis; quo morbo labrauerunt heretici, qui iurgijs conuicijs sacerdotes infectātes, incautas animas decipere studuerunt. sed hoc in primis diligenter caueat, nē sibi ipsi placeat, nē longitudine sermonis, superuacaneis verbis tempus conterat. nam alimenta, quae non abundant, auidius sumuntur.

Quid sit Homilia. Cap. XLIII.

LOCVS postulat, vt dicamus quid sit Homilia: ea autem est colloquiū. eo nomine appellati sunt sermo-